



Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Fvlconi Abbatij monasterij sancti Petri Corbeien. quod in pago Ambianen.
situm est, eiúsque fratribus tam praesentibus quàm futuris regularem
vitam professis in perpetuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

280 Epistolarum Innocentij III.

G. PRÆPOSITO ALBENSI.


Epiſt. 482.
Datut illi po-
testas conferen-
di custodiam
Albensem.

Innotuit apostolatui nostro per petitionem nobis ex tua parte porrectam, quod cùm in Alben. Ecclesia quædam dignitas, quæ Custodia dicitur, ad tuam donationem pertinens habeatur, cuius curæ ac sollicitudini ornamenta ac privilegia ipsius Ecclesiæ & diadema etiam regium committuntur, eam personæ idoneæ conferre desideras; ne forte per imperitiam, aut infidelitatem, vel negligenter Custodis ipsius Ecclesia incurrat aliquid detrimentum, aut honor patriæ de corona aliquam lesionem sustineat. Volentes igitur indemnitatib[us] Ecclesiæ præcavere, & tibi tuam justitiam conservare, ut custodiam ipsam, sicut tui juris existit, idoneæ personæ nullius appellationis obstaculo conferas & affignes, liberam tibi damus auctoritate apostolica facultatem. Datum Laterani XII. Kal. Ianuarij.

PICTAVIEN. EPISCOPO.

Epiſt. 483.
Ut monasteria
per suam dioce-
sum vifiter ar-
que reformat.

Si super commisso tibi grege sic vigilare procuras ut esse de illis pastoriibus qui nato Domino super grege suo noctis vigilias custodiebant meritò comproberis, in tui executione officij semper cum discretione procedes, & de subditis tuis, tanquam de eis redditurus Dominus rationem, plantare virtutes & extirpare vitia procurabis. Ad audientiam siquidem nostram noveris pervenisse quod in Pictaven. dioecesi pro diutina pastoris absentia in religiosorum collegiis & aliis personis ecclesiasticis multa quæ statum perturbant religionis & ordinis sunt presumpta, ad quorum correctionem te oporteat propensionis sollicitudinis studium exercere. Volentes igitur ut excessus liberiū valeas corriger delinquentium, cùm nostra fueris auctoritate suffulsi, tibi pagina præsent mandamus quatenus ad abbacias & alia loca religiosa & Ecclesias tuæ dioecesis, quæ tibi sunt diocesana lege subiectæ, personaliter accedens, quæ tam in capite quæ in membris in eis corrienda inveneris, secundum Deum corrugas & emedes, & reformationi eorum taliter procures insistere quod de bona possis provisione laudari, & Ecclesiarum status per te studioius reformatur. Datum ut suprà.



FVLCONI ABBATI
monasterij sancti Petri Corbeien. quod
in pago Ambianen. situm est, ejusque
fratribus tam presentibus quam futuris
regularē vitam professis in perpetuum.

Apostolicæ sedis auctoritate debito tóque compellimur pro universarum statu Ecclesiarum satagere & earum maximè quæ specialius eidem sedi adhaerent, ac tanquam proprio jure subiectæ sunt, utilitatibus providere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoria Nicolai, Benedicti, Leonis, Urbani, Paschalis, Innocentij, Eugenij, Adriani, Alexandri, Clementis, Celestini Ro. Pont. præfatum Corbeien. monasterium in pago Ambianen. situm, quod ad jus & proprietatem beati Petri specialiter pertinet, in quo estis divino obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina privilegia communimus. In primis siquidem statuentes &c. usque ad verbum vocabulis. Omnes parochias Corbeien, & parochiam prætorum, parochiam de Naurs, parochiam de Bus, parochiam du Thanes, & parochiam de Vscia. Ad hæc adjacentes interdicimus ut possessiones ipsius Ecclesiæ & beneficia absque Abbatis & fratum consensu nullus hominum in vita sive in morte aliis Ecclesias dare vel alio quolibet modo alienare præsumat ab ipsa. Nec licet Remen. Archiepiscopo nec Ambianen. nec alicui Episcopo in Abbatie & fratribus vel Clericis sive famulis aut in laicis infra præfatas parochias constitutis dominationem aliquam exercere, aut eos excommunicare, vel interdicere, aut appellations ab eis vel in vicem vel contra eos ab extraneis factas aliquo modo recipere, vel pro emendatione criminum actiones querere præmiorum, neque potestatem aliquam in possessionibus ad ipsum monasterium vel cellas ejus pertinentibus vel in posterum justè & rationabiliter acquirendis sibi audeant vendicare. Prohibemus quoque Remen. Archiepiscopi, vel Ambianen. Episcopi, aut alij, vel eorum Oeconomi, vel Archidiaconi, seu eorum nuntij, absque yestra vel vestrorum fratrum gratuita vocatione ad monasterium, vel loca prædicta accedant, aut molesta-

Epiſt. 414.
Eos in prece-
dione recipi
& eleganza ri-
te arque nos
præcepit relin-
quit.

Privilégium
Leonis IX. ed.
tum of in Tenui
VI. Spicilegij
pag. 417.

molestationem aliquam seu perturbationem inferant, aut consuetudines pravas seu novas imponant. Chrisma vero &c. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbatem vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem tantum fratres communi consenfu vel fratum pars consilij sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam de eodem collegio vel alterius cœnobij, si ibi aliquis ad hoc regimen dignus repertus non fuerit, providerint eligendum: qui, juxta antiquam Ecclesiae vestrae consuetudinem, a quoconque malueritis Episcopo consecretur. Apostolica insuper auctoritate statuimus, & sub intermissione anathematis prohibemus, ne Abbes vestri, qui pro tempore fuerint, altaria, decimas, præbendas monachales, aliquo titulo alienare præsumant, nec alias possessiones monasterij seu thesauros vendere, obligare, aut infideudare, sine communis consensu Capituli vel majoris aut sanioris partis aliquatenus audient. Ad hæc autem adjicimus, ne aliqui monachi seu conversi sub professione domus vestrae astrixi, sine consensu Abbatis & majoris ac sanioris partis Capituli vestri pro aliquo fidejubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipient ultra precium Capituli vestri rationabili providentia diffinitum. quod si facere præsumperint, non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere. Indictum autem, sicut haec tenus Corbeiensem monasterium celebrare consuevit, vobis confirmamus; & ne quis eos qui ad ipsum convenerint, in eorum bonis vel in personis offendere vel molestare præsumat, auctoritate apost. prohibemus. Illis vero qui locum ipsum in hac die devotionis intuitu visitaverint, & beneficia ei contulerint, de injuncta eis penitentia quadraginta dies auctoritate apostolica relaxamus. Hospitali autem vestro, quod Portaria dicitur, decimas a catholicis ipsius loci Abbatibus & aliis Dei fidelibus rationabiliter concessas, auctoritate ap. confirmamus. Decernimus ergo &c. Salva sedis ap. auctoritate. Ad indicium autem quod monasterium vestrum ad jus & proprietatem beati Petri pertineat, & perceptæ a Rom. Ecclesia libertatis, unicam auri nobis & successoribus nostris annis singulis persolveret. Si qua igitu &c. Datum Later. per manum Raynald

Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XV. Kal. Ianuarij, Indictione secunda, incarnationis dominice anno MCXCVIII. Pont. vero Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

R. ILLUSTRI REGI
Anglorum.

Cum inter alios mundi Principes personam tuam sicut carissimi filij disposuerimus prærogativa dilectionis & gratia honorare, & tam tuis quam tuorum utilitatibus paterna provisione diligenter intendere, miramur plurimum & dolemus quod hoc propositum nostrum, ex quo nimis quantum magnitudini tuae valeat honoris & utilitatis afferri, serenitatem regiam non credimus ignorare, pravis quorundam suggestionibus niteris impeditre. Cum enim negotium Cantuariensis Ecclesie dudu, solum Deum habentes præ oculis, studierimus secundum divinum beneplacatum terminare, (in quo, si personas vellemus accipere, vel munera forsitan acceptare, partem Cantuariensis Archiepiscopi proculdubio prætulissemus partibus monachorum) credebamus quod factum nostrum celitudo deberet regia gratiarum prosequi actione, quæ nos haec tenus de justitia facienda saepius exoravit, nec sustineret aliqua ratione quod quisquam deberet in hac parte apostolicis iussionibus obviare; quin potius, si aliter fecisset, præter offensam divinam & conscientiae laisionem, plurimum verebamur ne diceremur oppressores pauperum, & justitiae contemptores. Verum secus contigit quam vellemus, vel etiam credere deberemus. Nuper enim accedentes ad presentiam nostram dilecti filii nostri Prior & socij sui monachi Cantuarien. lachrymabili nobis & deflenda conquestione monstrarunt quod cum regia * sublimitas mandavisset de thesauro Ecclesiae Cantuarien. redigendo in scriptis, & sigillo tam * regio quam Archiepiscopi necnon & monachorum signando, neque hoc, unde ipsos in Domino commendamus, facere voluissent, sicut erat prius in ipsorum perniciem cogitatum, spreta sedis apostolica reverentia, suis sunt rebus & possessionibus spoliati. unde ad fedem apostolicam eos laborare oportuit invitatos pariter & dolentes. In quorum adventu renovatus est dolor noster: quia sustinuimus cum Pro-

Epist. 485.
Ne Cantuarienses
monachos contra jus con-
tra que rem ju-
dicatam & Ro-
mani Pontificis
auctoritatem
opprimat.
Vide supra epist.
432. & seq.

* Apud Gervaf.
Cantuarienses
potestas & subl.

* Apud Gervaf.
Regis